

IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIAE VIRGINIS

1 - In illo tempore: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae* etc.¹ In hoc evangelio tria notantur: Iesu Christi in templo oblatio, iusti Simeonis completa expectatio, et ipsius benedictio.

I - De Iesu Christi oblatione

2 - Iesu Christi oblatio, ut ibi: *Postquam impleti sunt* etc. In hac prima clausula notantur MORALITER tria, scilicet animae purgatio, ipsius oblatio, et post in caeleste templum ingressio. Sed primo HISTORIAM videamus.

Postquam impleti sunt etc. *Locutus est Dominus ad Moysen*, Levitico XII: “*Mulier, inquit, quae suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus*², ad distinctionem illius, quae virgo peperit. Non ergo filius nec mater hostiis indigebat purgari, sed ut solveremur a timore legis”³, idest ab observatione legis, quae timore observabatur. “*Decretum erat, puerum octavo die circumcidi, et post tricesimum tertium diem circumcisionis ad templum deferri, et pro eo hostias dari*”⁴, scilicet “agnum anniculum. Quod si non poterat manus eius invenire agnum, offerebat duos turtures vel duos pullos columbae. Praeter haec dicit IOSEPHUS: Primogenitum redimi quinque siclis”⁵. Beata Maria paupercula pro filio paupere pauperem hostiam obtulit, “ut per omnia Domini humilitas pateat”⁶.

Illud vero quod dicitur: *Omne masculinum adaperiens vulvam* etc.⁷, sic est intelligendum. Legitur in Exodo XIII: *Separabis omne quod aperit vulvam Domino, et quod primitivum est in pecoribus tuis; quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino*⁸. “Primogeniti ergo de filiis Levi offerebantur [nec redimebantur], et serviebant iugiter Domino. Primogeniti aliorum offerebantur et redimebantur. Primogenita pecorum, apta ad immolandum, oblata erant sacerdotum. Immundorum vero non oblata, quaedam redimebantur, ut primogenitum asini ove mutabatur, quae pro eo offerebatur; quaedam etiam nec redempta occidebantur, ut primogenitum canis”⁹.

3 - *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae*. Maria, ‘quae interpretatur illuminata vel mare amarum seu domina’¹⁰, est cuiuslibet iusti anima, quae fuit illuminata in Baptismo, est mare amarum in corde contrito et corpore afflito, erit domina in regno, quando coniungetur regi aeterno. Sed interim, dum est in exilio, quia multas sordes contrahit, purgatione indiget. Unde Ecclesiasticus VII: *Propurga te cum brachiis; et de negligentia purga te cum paucis*¹¹. Purgare est, cunctis sordibus reiectis, solum purum relinquere. Propurga, idest procul, idest ante iudicium purga te cum brachiis, idest misericordiae operibus; et de negligentia mandatorum purga te cum paucis; pauci enim sunt qui se de ea purgent.

Dicitur in NATURALIBUS, quod ‘columbae extrahunt sterlus pullorum extra nidum et purgant ipsum, et, cum pulli crescunt, docent illos eicere sterlus’¹². Sic viri iusti suas et suorum subditorum purgant immunditias, et ipsos docent proprias emundare. Unde Ieremias IX: *Docete, inquit, filias vestras lamentum, et unaquaque proximam suam planctum; quia ascendit mors per fenestras*

¹ Lc 2,22 (Vg. ... *purgationis eius...*)

² Lev 12,1-2 (Vg. *add mut*)

³ GLO. ORD., Lc 2,23

⁴ GLO. ORD., ibidem

⁵ P. COMESTOR, *Historia scholastica*, Liber Levitici, 18, PL 198,1205. Cf. FLAVIUS IOSEPHUS, *Antiquitatum Iudaicarum libri XX*, *Opera Omnia*, I, lib. III, c. XI, n. 5, Amsterdam 1726, p. 183.

⁶ GLO. ORD., Lc 2,24. Cf. ANSELMUS LAUDUNENSIS ET SCHOLA ORDINARIA, *Evangelium secundum Lucam*, PL 114,250: «*Haec oblatio pauperum erat, qui non sufficienter offerre agnum, ut per omnia humilitas Domini pateat.*»

⁷ Lc 2,23

⁸ Ex 13,12

⁹ P. COMESTOR, *Historia scholastica*, Liber Exodi, 28, PL 198,1156

¹⁰ Cf. HIER., *De nom. hebr.*, PL 23, 886; ISID., *Etym.* VII,101,1, PL 82,289

¹¹ Eccli 7,33.34 (Vg. *add*)

¹² Haec de hirundine refert ARISTOTELES (*De hist. an.* IX,7,612b 29-31): «*Excrementsa etiam pullorum parentes eiiciunt: post adultiores iam natos circumagi forasque egerere edocent.*»

*nostras*¹³, *ingressa est domos nostras*. Ac si diceret: ‘Mortale peccatum ingreditur per sensus corporis’¹⁴ ad animam, sed eicitur per medicinam, scilicet lamentum poenitentiae. Cum aliquis malis humoribus se aggravatum sentit, purgationem accipit, ut evadere possit. Unde Ecclesiasticus XXXVIII: *Altissimus creavit de terra medicinam, et vir prudens non abhorrebit illam*¹⁵. Terra, caro; medicina, poenitentia. ‘De carne serpentis, qui dicitur thirus, fit theriaca’^{16/a}, et de carne nostra fit animae medicina, idest poenitentia. Quae, quamvis sit amara, vir prudens, si humore peccati se aggravatum senserit, non tamen illam bibere abhorrebit, quia per amarae poculum potionis pervenitur ad gaudium sanitatis^{16/b}. Magna stultitia est propter amaritudinem dimittere sanitatem et incurrire mortem. Parabolis: *Malum est, malum est, dicit omnis emptor; sed cum recesserit tunc gloriabitur*¹⁷. Sic omnis infirmus dicit: *Amara est potio bibentibus illam*¹⁸; *sed, cum recesserit infirmitas, tunc gloriabitur*. Sic et omnis peccator dicit: Amara est poenitentia; sed, cum a culpa purgata fuerit anima, tunc in caelesti gloria gloriabitur.

4 - Dicamus ergo: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae*. Anima sic purgata, sic emundata debet offerre *par turturum, aut duos pullos columbarum*¹⁹. In *par turturum* duo genera castitatis, in *par columbarum* duo genera compunctionis designantur. De utroque videamus.

‘Turtur, de voce, vocatur avis pudica; quae, si suo socio fuerit privata, non associatur alii; solivaga et gemens incedit; solitudinem diligit; tempore hiemis ad convales descendit, et deplumata in truncis arborum concavis habitat; aestate vero ad montana ascendit et ibi sibi locum eligit’²⁰. Sic verus poenitens, mentis et corporis continentia pudicus, nullius mortalis peccati societatem recipit, quia, ut dicit Isaías XXVIII, *coangustum est stratum, ita ut alter decidat; et pallium breve utrumque operire non potest*²¹. Ac si diceret: Conscientia viri iusti ita angusta est per timorem Dei, quod diabolus non potest ibi quiescere, quia sancti, ut dicit Iob III, *qui maledicunt diei*, idest mundanae prosperitati, *parati sunt suscitare leviathan*²²; et pallium divinae gratiae, quae quamvis sit valde lata semper tamen videtur homini curta, non potest cooperire utrumque, idest sponsum et adulterum, idest mortale peccatum. Iustus etiam, ‘dum vivit in hoc corpore, peregrinatur a Domino’²³, privatur a suo dilecto; et ideo solivagus, turbae turbatae non immixtus et gemens incedit, unde dicit: *Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus*²⁴; solitudinem mentis et corporis diligit, unde: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine*²⁵; in hieme praesentis miseriae, temporalibus deplumatus, vilibus est contentus; sed cum venerit aestas aeternae claritatis, tunc advolabit ad montana patriae caelestis.

Item, ‘columba gemitum habet pro cantu’²⁶, ‘quia omnia intestina eius plena sunt felle, unde ex nimia amaritudine videtur gemere. Quae tamen dicitur a quibusdam felle carere; non enim habet fel eo loco quo aliae aves’²⁷. ‘Nullum laedit; morticino non vivit; alienos pullos nutrit; granum purum eligit; super fluenta residet, ut ab accipitre sibi caveat; in foraminibus petrae nidificat’²⁸. Sic poenitens

¹³ Ier 9,20-21

¹⁴ Cf. GLO. INT., Ier 9,21: «Docete lamentum, et unaquaeque... quia ascendit mors per fenestras, «Causa lacrimarum, ascendit mors peccatorum per sensus, ad interitum animae».

¹⁵ Eccli 38,4 (Vg. ... medicamenta... illa; in GLO. ... medicinam... illam)

^{16/a} Cf. ISID., Etym. IV,9,8, PL 82,193: «Theriaca est antidotum serpentium, quo venena pelluntur, ut pestis peste solvatur».

^{16/b} Cf. GREG., *Moralium in Iob, XXXI,33,70, PL 76,612.*

¹⁷ Prov 20,14 (Vg. ... sed cum...; in GLO. ... et cum...)

¹⁸ Is 24,9 (Vg. mut)

¹⁹ Lc 2,24

²⁰ Cf. ISID., Etym. XII,7,60,62, PL 82,467. Cf. PAPIAS VOCABULISTA, o.c., p. 361b: «Turtur de voce vocatur avis pudica et semper in montium iugis et in desertis solitudinibus commoratur, quae in hyeme etiam pene deplumata in truncis arborum concavis habitare perhibetur». Papias reproduce testualmente Isidoro.

²¹ Is 28,20 (Vg. add)

²² Iob 3,8 (Vg. add)

²³ Cf. 2Cor 5,6

²⁴ Ps 37,10

²⁵ Ps 54,8

²⁶ Cf. GLO. ORD., Cant 1,14; Mt 3,16

²⁷ Cf. ARIST., *De hist. an. II,15,506b 19-24; PLINIUS, Nat. hist., XI,75; NECKAM, De naturis rerum, 56*, p. 107

²⁸ Cf. GLO. ORD., Cant l.c.; Mt l.c.

gemitum emittit doloris, quia totus plenus est amaritudine contritionis; unde dicit: *Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba*²⁹. Dicitur in NATURALIBUS, quod ‘si pullis hirundinum oculi extrahantur, iterum revertuntur’³⁰. Poenitens, quia perdidit oculum divini amoris, ideo clamat, ut ipsum recuperet; qui ‘in amaritudine animae suae meditatur annos vitae sua’³¹, malum pro malo non reddit; morticino rapinae non vivit, immo sua aliis tribuit; peccatores diabolo subtrahit et cibo aeternae vitae nutrit; granum fidei catholicae eligit, lacrimarum fluentis intendit, ut sibi a fraude diaboli caveat; ‘in vulneribus Christi nidificat’³², in quibus suae spei nidum et pullos operum collocat.

Aliter GLOSSA ibi: “Qui non invenit agnum, idest divitias innocuae vitae, recurrat ad compunctionis lacrimas, quae per gemitum illarum avium signantur. Sunt autem duo genera compunctionis, dum vel malorum recolentes supplicia timemus, vel dum desiderio caelestium ardentes de dilatione gemimus. Unde duo pulli offerri iubentur, unus in holocaustum, quando amore caelestium inflammamur, alter pro peccato, dum de malis perpetratis gemimus”³³.

Item, ‘primogenita significant bona initia nostrae actionis, quae quasi corde gerimus, quae Dei gratiae deputare debemus. Male gesta redimere fructibus poenitentiae iubemur’³⁴.

Item, quinque sicli, quibus primogenitum nostrum redimimus, sunt de praeteritis dolere, ea in confessione denudare, proximo condolere, in omnibus timere, usque in finem perseverare.

Quicumque sic fuerit purgatus et cum talibus hostiis oblatus vel tali pretio redemptus, sine dubio per manus angelorum in caelesti templo erit receptus.

II - De iusti Simeonis completa expectatione

5 - Iusti Simeonis completa expectatio, ut ibi: *Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon*³⁵. ‘Qui interpretatur audiens moerorem’³⁶, et significat poenitentem, qui sive comedit, sive bibit, vel quocumque aliud facit, audit illam vocem terribilem: *Surgite mortui et venite ad iudicium; qui dicit cum Iob, ultimo: Auditu auris audivit te; nunc autem oculus meus videt te. Idcirco me reprehendo, et ago poenitentiam in favilla et cinere*³⁷. Nota quod, non dicit *aure*, sed *auditu auris*. Stultus, velut asinus, audit tantum sonum sermonis divini, sed sapiens virtutem percipit et in corde reponit. Dicitur in NATURALIBUS, quod ‘si aures cervorum fuerint erectae acutissime audient, si vero fuerint demissae nihil audient’³⁸. Qui de mundo sunt aures mundo inclinant et ideo audire non valent - *Propterea*, inquit, *non auditis, quia ex Deo non estis*³⁹ -; iusti vero viri, quia ex Deo sunt, ideo sursum erigunt, ut moerorem audiant. ‘Moeror est cum silentio dolor’⁴⁰. *Auditu ergo auris audivi te* praedicantem: *Poenitentiam agite* etc.⁴¹; *nunc autem oculus meus videt te* in cruce pendentem. Vel: *Audivi te* in iudicio disceptantem: *Esurivi* etc.⁴²; *oculus meus videt te* terribilem in sede maiestatis tuae

²⁹ Is 38,14

³⁰ Cf. ARIST., *De hist. an.* VI,5,563a 14-16: «Pullorum hirundinis adhuc recentium oculi, si quis stimulo eos vexarit, resanescunt, et cernendi vim postea plane recipiunt».

³¹ Cf. Is 38,15

³² GLO. ORD., Cant 2,14. Cf. ANSELMUS LAUDUNENSIS ET SCHOLA ORDINARIA, *Canticum cantorum*, PL 113,1141.

³³ GLO. ORD., Lc 2,24. La Glossa Ordinaria rimanda a Beda, ma il testo non figura in Besa, bensì in HILDEBERTUS CENOMANENSIS (1056-1133), *Sermones*, PL 171,617C: «Quia utraque avis demitum habet pro cantu, merito lacrymosa comunctio significatur. Sunt et duo genera compunctionis, pro irrigo scilicet superiori et inferiori, dum vel malorum recolentes supplicia, timemus vel dum desiderio caelestium ferventes, de dilatione gemimus. Ideoque duo pulli offerri iubentur, unus in holocaustum, quando amore caelestium inflammamur; alter pro peccato, cum de malis perpetratis gemimus».

³⁴ GLO. ORD., Lc 2,23

³⁵ Lc 2,25

³⁶ Cf. Gen 29,33; GLO. INT., ibidem; HIER., *Lexicon origenianum*, PL 23,1306: «Simeon, “Auditio”».

³⁷ Iob 42,5-6

³⁸ Cf. ARIST., *De hist. an.* IX,5, 611b 29-31: «Si cervus erectas auriculas teneat, acerrime sentit, nec latere insidiae possunt: sin demissas, facile interimitur».

³⁹ Io 8,47 (*Propterea vos...*)

⁴⁰ ISID., *Diff. I*,227, PL 83,34

⁴¹ Mt 4,17

⁴² Mt 25,35

sedentem, *et ideo me reprehendo* in confessione *et ago poenitentiam* in humilitate mentis et afflictione corporis.

Iste Simeon est in Ierusalem, quia eius conversatio est in caelis. *Et homo iste iustus et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo*⁴³. “Iustus dictus, quia iura custodit, et secundum legem vivit”⁴⁴. ‘Timor servilis est terrore poenae a malo se abstinere, non iustitia delectari. Hunc foras caritas mittit, quando non delectat iniquitas etiamsi proponatur impunitas. Timor vero castus est quo timet anima, ne amittat ipsam gratiam; per quam in illa factum est, ut eam peccare non delectet; quo timet, ne eam deserat etiamsi nullis cruciatibus puniat. Hunc caritas non eicit, quia permanet in saeculum saeculi’⁴⁵. Maior timor debet esse peregrinantium, minor propinquantium, nullus pervenientium. Poenitens ergo est iustus in se, timoratus ad Deum, timore filiali expectans non tantum suam sed proximi consolationem; et sic gratia Spiritus Sancti est in eo, ex cuius inspiratione certum responsum accipit, quod mortem aeternam non gustabit et Christum facie ad faciem videbit.

*Et venit in spiritu in templum*⁴⁶. “Templum dictum, tectum amplum”⁴⁷: tectum protegit, amplum multitudinem recipit. Templum est caritas Dei et proximi: Dei protegit, proximi recipit. In hoc templum nullus potest venire nisi in spiritu, non in carne, quia ‘spiritus est qui vivificat, et spiritus est Deus’⁴⁸; caro autem nihil prodest’⁴⁹.

6 - Sequitur: *Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo*⁵⁰. Nota quod, dicit puerum Iesum, et non dicit Iesum puerum. GLOSSA ibi: “Cum pueritia post septem annos infantiae incipiat, Iesus frequenter puer dicitur, non tam pro aetate, quam pro servitio. Unde Propheta: *Ecce puer meus*⁵¹, quia *Filius hominis non venit ministrari sed ministrare*⁵²”⁵³. Fuit ergo nobis prius puer nobis serviens, unde dicit Isaia XLIII: *Servire me fecisti in peccatis tuis, praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*⁵⁴. Triginta tribus annis nobis fideliter servivit, et in tantum pro nobis laboravit, quod sudorem sanguineum emisit, et tandem pro amore nostro mortem sustinuit. O carissimi, quid mercedis tam fideli servantii dare poterimus? *Et quid dignum poterit esse beneficii eius?*⁵⁵ Certe poterimus ei dicere sicut Tobias IX Raphaeli: *Si me ipsum tradam servum tibi, non ero condignus providentiae tuae*⁵⁶. Nos vero infelices quam ei mercedem persolvimus? Ipse dicit in Psalmo: *Retribuebat mihi mala pro bonis, sterilitatem animae meae*⁵⁷, quia sanguinem Passionis ipsius non permittimus fructificare in nobis. Ad hoc posuit animam suam, ut animam nostram acquireret; sed isto fructu eam privamus, cum per mortale peccatum nostrum diabolo damus. Bene ergo dicit puerum Iesum, quia prius nobis servivit et postea salvavit. Nullus etiam erit Iesus, idest salvus, nisi prius fuerit puer, idest servus.

III - De ipsius benedictione

⁴³ Lc l.c.

⁴⁴ ISID., *Etym.* X,125, PL 82,380

⁴⁵ Cf. GLO. ORD., Lc l.c.; Io 8,50; 1Io 4,18; AUG., *In Ioannis ev. Tractatus* 43,7, PL 35,1708; *Enarratio II in Ps.* 18,10, PL 36,161

⁴⁶ Lc 2,27

⁴⁷ ISID., *Etym.* XV,4,7, Pl 82,544

⁴⁸ Io 4,24

⁴⁹ Cf. Io 6,64

⁵⁰ Lc 2,27

⁵¹ Mt 12,18; Cf. Is 42,1: «*Ecce servus meus*».

⁵² Mt 20,28

⁵³ GLO. ORD., Lc l.c. Cf. IDEM, in ANSELMUS LAUDUNENSIS ET SCHOLA ORDINARIA, *Evangelium secundum Lucam*, PL 114,250. Il termine latino *puer* significa *infans* e *servus*. Da qui l'applicazione di Antonio all'ufficio di servitore, con le forme nominali e verbali *servus/serviens/servivit* in tutto questo passaggio.

⁵⁴ Is 43,24

⁵⁵ Tob 12,2

⁵⁶ Tob 9,2 (Vg. *mut*)

⁵⁷ Ps 34,12

7 - Ipsius benedictio, ut ibi: *Ipse accepit eum in ulnas suas*⁵⁸. “Magna humilitas Salvatoris! Qui loco non capit, grandaevi hominis ulnis gestatur”⁵⁹. “Veteranus accipit puerum, docens ut ‘exuamus veterem hominem, qui corrumpitur, et induamus eum qui secundum Deum creatus est’⁶⁰”⁶¹. In ulnis, idest brachiis, Christum portat, qui verbum Dei non in ore tantum sed operibus caritatis amplectitur, sicut faciebat Iob, cum dicebat XIII: *Lacero carnes meas dentibus meis, et animam meam porto in manibus meis*⁶². “Dentes dicti, quasi dividentes”⁶³, sunt confessionis reprehensiones et accusations, quibus iustus carnes, idest carnalitates suas, lacerat, et sic animam suam portat in manibus operum suorum, eam reddere paratus suo Creatori quacumque hora ipsam repetierit; et tunc cum Simeone benedicet Deum: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace*⁶⁴. Servus qui diu servivit et diu laboravit, in pace secundum verbum pacis a Domino dimittitur. Et Stephanus *obdormivit in Domino*⁶⁵. Verbum enim Domini: ‘Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego requiescere vos faciam’⁶⁶. Secundum ergo verbum tuum, nunc dimittis in pace servum tuum. Ecce puer et Iesus, ecce servus et salus, quia in pace dimissus. *Nunc dimittis*, quia hucusque laboravi, hucusque expectavi, sed *nunc*, idest in fine miseriae meae, *dimittis servum tuum*.

Unde Iob XXXIX: *Quis, inquit, dimisit onagrum liberum et vincula eius quis solvit? Cui dedi domum in solitudine et tabernacula eius in terra salsuginis*⁶⁷. Onager est poenitens, cui Deus in hac praesenti miseria dat domum in mentis solitudine, et tabernacula militiae, ex qua pugnat et impugnatur in cordis amaritudine. De his duobus Ieremias XV: ‘A facie manus tuae solus sedebam, quia amaritudine replesti me’⁶⁸. Cui in hac vita dat Dominus ista, in morte et liberum a culpa dimittit et vincula poenae dissolvit. *Nunc ergo dimittis servum tuum secundum verbum tuum in pace*.

8 - *Quia viderunt oculi mei salutare tuum*^{69a}. Nota quod, tribus modis videtur Deus: fide et contemplatione videtur in via, facie ad faciem videbitur in patria^{69b}. Tria sunt aer, aqua et terra. Dicitur in NATURALIBUS, quod ‘aves in aere volantes indigent necessario acuto visu, quoniam vident a locis altissimis suum cibum. Piscium vero sunt humidi oculi, quoniam necessarium est, ut indigeant multo visu, propter aquae grossitiem. Aves vero manentes in terra, quae non sunt volantes, ut gallina et sibi similes, non indigent acuto visu’⁷⁰. Aves in aere sunt in caelo angelicae virtutes, quae a locis altissimis caelestis patriae subtili et acuto visu speculantur Deum, suum cibum, *in quem, inquit, angeli desiderant prospicere*⁷¹. Pisces in aquis, contemplativi in lacrimis. Oculi humidi, speculationes animi devoti, quibus inest multus visus propter aquae, idest ipsius contemplationis, grossitiem: ita enim grossa est, quod penetrari non valet, nisi multo devotionis visu contemplativus abundet. Istius oculi vident salutare Dei. Aves in terra sunt activi, qui, ut gallina, nutriti pullos suos. Isti non multum acute vident, et tamen salutare Dei utcumque vident.

⁵⁸ Lc 2,28

⁵⁹ GLO INT., ibidem: «In ulnas suas, “Magna humilitas salvatoris, qui loco non capit, grandaevi ulnis gestatur”».

⁶⁰ Cf. Col 3,9-10

⁶¹ GLO. ORD., Lc 1.c.

⁶² Iob 13,14

⁶³ ISID., *Diff. II,59*, PL 83,79. Editiones: «... quasi cibos dividentes»

⁶⁴ Lc 2,29

⁶⁵ Act 7,60

⁶⁶ Cf. Mt 11,28

⁶⁷ Iob 39,5-6 (Vg. *mut*)

⁶⁸ Cf. Ier 15,17

^{69a} Lc 2,30

^{69b} Il problema dell’escatologia è qui presente, anche se solo accennato, con i termini paralleli *via e patria*. Su questo argomento vedi BERNARD PRZEWOZNY, *The Kingdom of God and the Church* in «Atti 1981», pp. 461-462 e 466.

⁷⁰ Cf ARIST., *De part an.*, II,13,657b 24-29,658a 6-10: «Volucribus certe necessarium est: iis enim usus cernendi ex longinquō est. Unde fit ut quae unguibus sunt aduncis, clarissime cernant. Cibus enim de sublimi conspiciendus iis est [...]. Terrestres autem, parumque volatiles avec, ut gallinacei, et similes, non acie oculorum valent: nulla enim victus necessarie coguntur [...]. At piscibus, quoniam aqua ut ad cernendum acutius adversatur, sic ad interpellandum visum non multa offendicula affert [...], idcirco nec palpebram habent [...], et oculi lubrici sunt, propter circumfusi humoris crassamentum»

⁷¹ 1Pt 1,12 (Vg. *mut*)

*Quod parasti ante faciem omnium populorum*⁷². Concordat Isaia LII: *Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium*⁷³. ‘Brachium Patris, Filius’⁷⁴, qui paratus est amplecti filium prodigum, ad se reversum. Unde Luca XV: *Occurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum*⁷⁵. ‘In primo adventu Pater paravit Filium *ante faciem omnium populorum*, ut credant et diligent; in secundo parabit, ut ‘videat eum omnis [populus]’⁷⁶, et ‘reddat unicuique secundum opera sua’⁷⁷,⁷⁸.

Lumen est “ipse Salvator”⁷⁹, per gratiam in praesenti, *ad revelationem gentium*⁸⁰. Unde Pater, Isaia XLII: *Dedi te in foedus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos caecorum*⁸¹, et Iob XII: *Qui revelat profunda de tenebris, et producit in lucem umbram mortis*⁸². Iste, qui est lumen in praesenti, erit et “ad gloriam”⁸³ in futuro *plebis suaे Israel*⁸⁴, idest videntium Deum. Quam nobis praestare dignetur qui est benedictus in saecula. Amen.

IV - Sermo allegoricus

9 - *Brevis in volatilibus est apis, et initium habet fructus illius dulcoris*⁸⁵. Haec auctoritas Ecclesiastico XI. Dicitur in NATURALIBUS, quod ‘apis sine coitu generat, quoniam in ea est virtus generans’⁸⁶. ‘Et apis bona est parva, rotunda, densa, constricta’⁸⁷. ‘Et apis est mundior ceteris volatilibus vel animalibus, et propter hoc foetidus odor eam gravat, et odor dulcis delectat’⁸⁸. ‘Nullum animal fugit, et, cum volat, flores diversos non intendit neque unum florem dimittit et ad alium vadit, sed ex uno, quo indiget, colligit et ad alvear redit. Et cibus eius est mel, quia vivit ex eo quod operatur Et facit domum, in qua stet rex; et incipit aedicare super parietibus alvearis supra, et non cessat descendere paulatim paulatim donec perveniat ad imum alvearis’⁸⁹.

⁷² Lc 2,31

⁷³ Is 52,10

⁷⁴ Cf. GLO. INT., ibidem: «*Paravit Dominus brachium sanctum suum, “Incarnari fecit filium, vel praedicari ubique”*».

⁷⁵ Lc 15,20 (Vg. *Accurrens...*)

⁷⁶ Cf. Apoc 1,7

⁷⁷ Cf. Mt 16,27; Rom 2,6

⁷⁸ GLO. ORD., Lc 2,31

⁷⁹ GLO. INT., Lc 2,32: «*Lumen ad revelationem gentium, “Ipse salvator, ipse lux illuminans”*».

⁸⁰ Lc l.c.

⁸¹ Is 42,6-7

⁸² Iob 12,22

⁸³ GLO. INT., Lc l.c.: «*Producit in lucem umbram mortis, “Et dum illi cadunt, hi relevantur aperta sententia: de occulto consilio Dei producitur ut ostendat de unoquoque quid sentiat”*».

⁸⁴ Lc l.c. (Vg. *plebis tuae...*)

⁸⁵ Eccli 11,3 (Vg. *mut*)

⁸⁶ Cf. ARIST., *De gen. an.* III,10,759b 27-31: «*Relinquitur itaque, ut quod in piscibus evenire videmus, apes sine coitu fucos generent et foeminae sint, qua generant ratione: sed habeant intra se, ut plantae, sexum maris et foeminae*».

⁸⁷ Cf. ARIST., *De hist. an.* V,22,553b 22-23: «*Genera apum plura: optimum quae breves, variae, et in rotunditate compactiles sunt*»; IX,40,624b 20-24: «*Genera apum plura, ut dixi. Duo principium: alterum rufum, quod praestantius est: alterum nigrum, magisque varium, duplo amplius ape utili. Tertium genus, quod optimum, breve hoc, in rotunditate compactile, et varium est*».

⁸⁸ Cf. ARIST., *De hist. an.* IX,40,626a 24-28: «*Mundissimum omnium hoc animal est [...]. Oderunt non solum foedos, odores sed etiam unguentorum delicias*»; VIII,11,596b 15-17: «*Apis una nullis putidis assidet, nec uititur alio cibo, quam dulci*».

⁸⁹ Cf. ARIST., *o.c.*, IX,40,626a 13-15,623b 15-18,624b 3-6,623b 32-34,624a 5-7: «*Nullum animal, nisi sui generis, apes fugiunt, praeliantur enim inter se, et cum vespis [...]. Ex novem, iis quae modo enumeravi, generibus, apes nihil venantur, sed ipsae sibi cibaria faciunt, atque recondunt: mel enim cibum earum est [...]. Mos apibus, ne florum plura petant uno eodemque profectu, sed singulis singula. Verbigratia, a viola ad violam advolant, nec aliud attingunt, quoque suum in alveare redeant [...]. Effingunt favos primum in quibus ipsae cognoscuntur: deinde in quibus regis dicti et fuci [...]. Exordium operis a tecto alvei, textusque ad pavimentum perpetuo stabilimento agitur*».

Sic domina nostra, beata Maria, Dei Filium sine corruptione generavit, quoniam ‘Spiritus Sanctus supervenit in ea, et virtus Altissimi obumbravit ei’⁹⁰. Haec bona apis fuit parva humilitate, rotunda contemplatione caelestis gloriae, quae caret principio et fine, densa caritate - quae novem mensibus caritatem in utero portavit, caritate carere non potuit -, constricta paupertate, mundior ceteris virginitate; et ideo foetidus odor luxuriae, si licet dicere, eam gravat, odor vero dulcis virginitatis vel castitatis eam delectat. Et ideo, qui beatae Virgini placere desiderat, luxuriam fugiat et castitati intendat. Nullum animal, idest peccatorem, fugit, immo omnes ad se confugientes recipit, et ideo vocatur mater misericordiae: misericors miseris, spes desperatis.

Dicit sponsus in Canticis II: *Ego flos campi et lily convallium*⁹¹. Hunc florem, omnibus aliis praetermissis, beata Maria elegit et ei adhaesit et ex eo quo indigebat recepit. Et Nazareth, in qua concepit, “interpretatur flos”⁹², quem locum prae aliis sibi elegit. ‘Flos enim, qui de radice Iesse ascendit’⁹³, florigeram patriam diligit. Beatae Mariae cibus, suus filius, mel angelorum, dulcedo omnium sanctorum. Ex illo vivebat, quem nutriebat: cui lac propinabat sibi vitam dabat.

Haec bona apis praeparavit domum, scilicet mentem humilitate, carnem virginitate, in qua rex angelorum habitaret. Et attende, quod apis incipit aedificare a superiori, quia beata Virgo non ab inferiori, idest in conspectu hominum, sed a superiori, idest oculis divinae maiestatis coepit aedificare; et paulatim paulatim, quia discrete et ordinatim, coepit ad notitiam hominum descendere, ut, quae iam erat electa in conspectu Dei, fieret admirabilis in conspectu hominum.

10 - Dicamus ergo: *Brevis in volatilibus est apis*. Cum plurimae virtutes in beata Maria excellenter effulserint, humilitas excellentius effulsit. Unde, quasi ceteris oblita, humilitatem praetendit, dicens: *Respxit humilitatem ancillae sua*e⁹⁴, et ideo dicitur *brevis in volatilibus*. Volatilia, ipsius merita, usque ad empyreum caelum volantia. Unde de ea dicitur Parabolis ultimo: *Multae filiae congregaverunt divitias, idest virtutes, tu autem supergressa es universas*⁹⁵, quia universis altius volavit. Cum tot virtutum divitiis esset ditata, tot meritorum praerogativis fuisset elevata, fuit tamen brevis, idest humilis, nostra apis, quae hodie obtulit Deo Patri in templum favum, idest Verbum incarnatum, idest Deum et hominem.

In favo, mel et cera; in pueru Iesu, divinitas et humanitas. Dicitur in NATURALIBUS, quod ‘bonum mel est ex nova cera; et bonum mel est simile auro’⁹⁶. Nova cera, Christi caro, ex carne mundissima gloriosae Virginis assumpta; in qua, mel divinitatis, quae in auro designatur. Unde Canticis V: *Caput dilecti, aurum optimum*⁹⁷. *Caput Christi, Deus*⁹⁸. Et ideo nos hodie portamus in nostra processione candelas, accensas novo igne, in manibus, repraesentantes illam processionem, quam hodierna die fecerunt beata Maria et Ioseph, puerum Iesum ad templum portantes, Simeon et Anna, prophetantes et laudantes.

De hac processione dicitur in Psalmo: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi; iustitia et pax osculatae sunt*⁹⁹. Misericordia nostrae salvationis, in Redemptore; veritas promissionis, in Simeone, cui promiserat Spiritus Sanctus, quod ‘non videret mortem, nisi videret Christum Dominum’¹⁰⁰; iustitia, in beata Maria et Ioseph; pax, in Anna prophetissa, *quae non recedebat de templo, ieuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die*¹⁰¹. Hodie ergo in templum misericordia venit, et veritas ei obviavit, quia puerum Iesum Simeon suscepit, et ibidem iustitia et pax osculatae sunt. In osculo

⁹⁰ Cf. Lc 1,35

⁹¹ Cant 2,1

⁹² GLO. INT., Mt 4,13: «Nazareth, “Flos interpretatur”».

⁹³ Cf. Is 11,1

⁹⁴ Lc 1,48

⁹⁵ Prov 31,29

⁹⁶ Cf. ARIST., *De hist. an.*, IX,40,626b 28-32, 627a 2-4: «Mellis conficiendi tempora duo sunt: ver atque autumnus, sed vernum suavius, candidius, omnino praestantius autumnali est. Conficitur profecto melius ex nova cera, novellisque stirpibus [...]. Probatur cui ex aureolo color. Quod autem albicat non e sincero thymo confectum est; sed id oculis et ulceribus medendis comodius applicatur».

⁹⁷ Cant 5,11 (Vg. *Caput eius...*)

⁹⁸ 1Cor 11,3 (Vg. *Caput vero...*)

⁹⁹ Ps 84,11

¹⁰⁰ Cf. Lc 2,26

¹⁰¹ Lc 2,37 (Vg. *quae non discedebat...*)

notatur unitas et concordia: quod enim Maria et Ioseph credebant, hoc Anna confitebatur, et sic in uno spiritu conveniebant.

Nota quod, in candela sunt tria: cera, stupa et flamma. Cera, Christi caro; stupa, eius passio; ignis flamma, divinitatis potentia. “Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe regem Christum”¹⁰², ut, sicut hodie ipsum repraesentas in candela, sic portes in conscientia. In cera designatur munditia mentis, in stupa afflictio corporis, in flamma ardor caritatis. Qui sic portat, bene repraesentat. Gloria ergo et honor api virgini, quae hodie obtulit favum Deo Patri.

De quo sequitur: *Initium dulcoris habet fructus illius*. Fructus apis, filius Virginis. *Et benedictus*, inquit, *fructus ventris tui*¹⁰³, de quo Canticis II: *Fructus eius dulcis gutturi meo*¹⁰⁴. Iste fructus initium, immo medium et finem, dulcoris habet, quia dulcis in utero, dulcis in praesepio, dulcis in templo, dulcis in Aegypto, dulcis in baptismo, dulcis in deserto, dulcis in verbo, dulcis in miraculo, dulcis in asello, dulcis in flagello, dulcis in patibulo, dulcis in sepulcro, dulcis in inferno, dulcis in caelo. O dulcis Iesu, quid te dulcius? ‘Dulcis tua memoria super mel et omnia’^{105/a}, nomen dulcedinis, nomen salutis. Quid enim est Iesus nisi salvator? Ergo, bone Iesu, esto propter temetipsum nobis Iesus, ut, qui dedisti initium dulcoris, idest fidem, des spem et caritatem, quatenus in ipsa viventes et morientes ad te pervenire mereamur^{105/b}. Te praestante, precibus tuae matris, qui es benedictus in saecula. Amen.

V - Sermo moralis

11 - *Brevis in volatilibus apis*. Quae dicitur ab a, quod est sine, et *pede*, “eo quod sine pedibus nascatur. Vel, apes dictae, quod alligent pedibus se ad invicem”¹⁰⁶. Dicitur in NATURALIBUS, quod ‘apis parva est maioris laboris, et habet alas quattuor subtile, et color eius est niger, et est quasi combusta. Et apes ornatae sunt de numero illarum quae nihil faciunt’¹⁰⁷, ‘quae sunt solitariae per se et querunt solidudinem, et nihil faciunt boni’¹⁰⁸. ‘Et apes laborantes accipiunt flores salicis et liniunt ex eis superficiem alvearis, et non faciunt hoc nisi propter animalia nocentia; et si introitus alvearis fuerint ampli, strictificabunt ipsos’¹⁰⁹. ‘Et in hieme convenient eis locus calidus, et in aestate locus frigidus’¹¹⁰. ‘Et cognoscunt hiemem et pluviam, et huius rei significatio est, quod non exeunt tunc, ut volent ab alvearibus, sed volant intra alvearia; et ex hoc cognoscunt custodes alvearium pluviam futuram’¹¹¹. Et nota quod, tria maxime nocent apibus, scilicet ventus, fumus et bestiolae. Quando venit ventus fortis, subito custodes cooperiunt orificia alvearium, ne intret in ea

¹⁰² MISSALE ROMANUM, *In Purificatione B.V.M.*, In processione. Antiphona

¹⁰³ Lc 1,42

¹⁰⁴ Cant 2,3

^{105/a} Cf. BREVIARIUM ROMANUM, *In festo Sanctissimi Nominis Iesu*, Ad vesperas, Hymnus. Questo inno al nome di Gesù si ispira a S. Bernardo, come ha dimostrato JEAN LECLERCQ, *Spiritualità monastica nei “Sermones”*, in «Atti 1981», p. 207, citando WALMART et GILSON.

^{105/b} Cf. ANSELMUS CANTUARIENSIS, *Liber Meditationum et orationum*, PL 158,725.

¹⁰⁶ ISID., *Etym.* XII,8,1, PL 82,469-470. Il termine *Apis* è considerata oggi una parola di origine incerta (o , da collegare al verbo *apiscor*, “pendere”, e il vecchio verbo *apere*, lui stesso imparentato con il verbo greco *hapto*, “legare”, nonostante lo spirito [‘] aspro che appare nel [h] della trascrizione fonetica).

¹⁰⁷ Cf. ARIST., *De hist. an.* IX,40,627a 12-15: «Minores officiosiores maioribus sunt, ut dixi. Pennae his detritae color niger dorsum repandum: illae nitidae venustaeque sunt more otiosarum mulierum». Quattuor alis instrui generis apum proprium est, non tantum earum quae ab Antonio apes parvae dicuntur. Cf. ARIST., *o.c.*, IV,7,532a 19-22: «... His praeter caetera membra pennae adnexae aliis binae, ut muscis, aliis quaternae, ut apibus. Nullis binae, quibus in alveo aculeus».

¹⁰⁸ Cf. ARIST., *o.c.*, IX,40,625° 27-31: «Flagrant odio breves contra longas, easque alveis pellere conantur: qua in pugna si illae vicerint, optimum ita fore examen putatur: sed si hae solae remanserint, otiosae vivunt, et nihil boni integer faciunt».

¹⁰⁹ Cf. ARIST., *o.c.*, ibidem, 623b 26-32: «Cum enim alveum receperint mundum, construere incipient favos, deferentes ex floribus, atque etiam arborum lacrymis, salicis et ulmi, et reliquarum, quae glutinum pariunt. His pavimentum quoque illinunt, ne bestiolae nocuae subeant. Vocant hoc opus apiariorum imum. Aditus ampliores sunt, fabrica obstruentes coarctant».

¹¹⁰ Cf. ARIST., *o.c.*, ibidem, 626b 22-23: «... locus aestate non fervidus, hyeme tepidus».

¹¹¹ Cf. ARIST., *o.c.*, ibidem, 627b 10-13: «Praesagiunt apes et hyemem, et imbræ. Cuius rei iudicium est quod non avolant sed sereno adhuc in alveo voluntur quo apiariorum hyemem expectant».

ventus. Item, ‘qui volunt auferre mel apibus, infumant eas, quoniam nocetur eis a fumo’¹¹². Item, ‘habent bestiolas parvas nocentes sibi, et si fuerint apes fortes, interficiunt eas, et extrahent ab alvearibus; et aliae apes, quae sunt debiles, debilitantur in operatione per hoc quod patiuntur ab illis bestiolis’¹¹³. De singulis videamus.

Apis est quilibet iustus, cuius pedes sunt caritatis affectus, quos non natura, sed gratia dedit, quia ‘omnes sumus natura filii irae’¹¹⁴. His pedibus alligantur ad invicem viri iusti, unde Apostolus: *Honore invicem praevenientes*¹¹⁵. Et in Apocalypsi X dicitur, quod ‘pedes angeli erant tamquam columna ignis’¹¹⁶. Sic affectus cuiuslibet iusti vel christiani debent esse columna, ut aliorum fragilitatem sustentent, ignis, ut incendant ad Dei amorem.

Item, apis parva, idest iustus humilis, est maioris laboris unde David primo Regum XVII: *Leonem*, inquit, *et ursum interfeci ego servus tuus*¹¹⁷. Qui se servum dicit, humilem se ostendit. In leone superbia, in ursu luxuria. Ista duo interficere in se ipso quanti laboris sit, solus expertus novit. Et nota quod, prius ponit leonem, quia nisi prius superbia cordis edometur, luxuria carnis non vincetur. Quattuor alae viri iusti sunt contemptus sui, despectus mundi, zelus proximi, appetitus regni; vel sunt quattuor virtutes principales, quibus a terra elevatur et in caelos subtiliter speculatur. Color eius niger et quasi combustus, unde in Threnis IV: *Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis*¹¹⁸. Carbo extinctus, Christi pauperculus, cuius facies fame et siti, labore et sudore denigratur, et ideo in mundi platea, idest gloria, non cognoscitur.

Apes ornatae sunt vani religiosi et hypocritae, qui in ornatu exterioris honestatis et suarum traditionum observantia gloriantur, singulariter vivunt, singularitatem quaerunt, et ideo nihil boni faciunt, quia conspectui hominum placere cupiunt.

Apes laborantes etc. In salice notatur amaritudo abstinentiae, vigiliarum et lacrimarum; quibus poenitentes corpus suum affligunt et quasi inungunt, propter animalia nocentia, idest luxuria et incentivā. Carnales inungunt se melle, idest temporali dulcedine, et ideo muscae multae malarum cogitationum et temptationum eos cooperiunt, sed a iustis fugiunt, quia amaritudine se inungunt. *Nullam*, inquit Apostolus, *requiem habuit caro nostra*¹¹⁹. Et si introitus alvearis, idest sensus corporis, fuerint ampli, lascivia vel curiositate, strictificabunt, idest refrenabunt, ipsos. *Clauso*, inquit, *ostio, scilicet sensuum*¹²⁰, *intra in conscientiae cubiculum et ibi ora Patrem tuum*¹²¹.

Et in hieme, idest adversitatis tempore, convenit eis locus calidus, idest animus virtuosus, ne adversa deiciant; et in aestate, idest prosperitatis tempore, locus frigidus, idest animus solidus, ne prospera inflent vel dissolvant. Calor enim dissolvit, frigus restringit et consolidat.

Et cognoscunt hiemem et pluviam, idest praevident temptationem. Unde Iob XXXIX, de equo, idest viro iusto, *procul*, inquit, *odoratur bellum, exhortationem ducum et ululatum exercitus*¹²². Duces sunt subtiles tentationes, quae sub specie virtutis rationabiliter videntur exhortari; exercitus, carnalis appetitus, qui velut lupus aperte ululat. Sed vir iustus, odoratu discretionis, utrumque procul reprehendit et ab utroque sibi cavet.

Et huius rei significatio etc. Cum iusti temptationem imminere conspiciunt, foras per sensus corporis non exeunt, sed se intra se colligunt, et ibi volatu contemplationis se erigunt. Unde Sapientia

¹¹² Cf. ARIST., *o.c.*, ibidem, 623b 19-21: «... cum apiarii eximere incipient favos: quamvis enim sufflantur, vehementerque ex fumo laborent, tamen plus mellis: tunc edunt: quam prius».

¹¹³ Cf. ARIST., *o.c.*, ibidem, 626a 7-10.16-17.23-24: «Inferunt, iniuriam apibus maxime vespae, et aviculae, quas paros vocant, atque etiam hirundo et merops: qui apiaster est, tum vero ranae lutariae, eas ubi ad quam accesserint, rapiunt [...]. Apud suos alveos pugnant acerrime, et hostes, quos vicerint, enecant. Intereunt quae percusserint: quoniam sine intestini eruptione, aculeus eximi non potest [...]. Efferunt foras apes vita in alveo defunctas, et caetera».

¹¹⁴ Cf. Eph 2,3

¹¹⁵ Rom 12,10

¹¹⁶ Apoc 10,1

¹¹⁷ 1Reg 17,36

¹¹⁸ Lam 4,8

¹¹⁹ 2Cor 7,5

¹²⁰ Cf. GLO. INT., Mt 6,6: «*Clauso ostio, ora patrem tuum, “Repulsis omnibus quae improbe se ingerunt, sic ora ut filius, secundum quod renatus, et advena renatus, ora patrem tuum qui adoratur in spiritu et veritate».*

¹²¹ Mt l.c. (Vg. *mut add.*)

¹²² Iob 39,25

VIII: *Intrans in domum meam*, “idest conscientiam”¹²³, *conquiescam cum sapientia*¹²⁴, quae dicitur a sapore, qui percipitur in contemplatione.

Et nota quod, tria maxime nocent viris iustis, scilicet ventus superbiae, quae cum flaverit, ipsi iusti, qui custodes sunt sui, debent orificia alvearium, idest sensus corporum, claudere, ne eis eveniat damnum. Iob: *Ventus, inquit, vehemens irruit a regione deserti, et concussit quattuor angulos domus, quae corruens oppressit filios suos*¹²⁵. Iob, “qui interpretatur dolens”¹²⁶, est poenitens; eius filii, opera; ‘domus, conscientia; quattuor anguli, quattuor virtutes; regio deserti, malitia diaboli’¹²⁷; a qua, cum superbìa vehemens irruit, conscientiam concutit, concussa a statu suo cadit, cadens opera poenitentiae opprimit, quia ‘ante ruinam exaltatur cor, et superbìa casum habet’¹²⁸.

Item, fumus avaritiae, quae excaecat oculos sapientium. Cum enim daemones volunt auferre dulcedinem mentis, supponunt fumum cupiditatis. Unde in libro Iudicum dicitur IX, quod Abimelech, “qui interpretatur pater meus rex”¹²⁹, ‘cum omni populo suo praecidit arboris ramos, quibus, igne supposito, succedit praesidium, in quo erant viri pariter ac mulieres, et ita factum est, ut fumo et igne mille hominum necarentur’¹³⁰. Arbor est mundus, rami eius divitiae et deliciae. Diabolus, qui est pater et rex super universos filios superbiae¹³¹, cum omni populo daemonum a mundo divitias et delicias scindit, quibus ignem avaritiae supponit, et heu! tot millia hominum et mulierum fumo cupiditatis interficit.

Item, bestiolae, idest carnis illecebrae vel cogitationes immundae, nocent viris iustis, qui, si fortes et constantes fuerint, eas interficiunt et a se elicient; si vero debiles et effeminati fuerint, eorum opera erunt debilia, quia cogitationibus immundis et carnis illecebris effeminata.

His de proprietate apum praelibatis, ad materiam redeamus.

12 - *Brevis in volatilibus apis*. Volatilia, sancti. De quibus Matthaeo VI: *Respicite volatilia caeli*, quia caelum contemplatione petunt, *quoniam non serunt vanitatem, neque metunt turbinem*, ex tali semine talis fructus, et ideo non congregant damnationem in horrea¹³² inferni. In ipsis volatilibus est brevis apis, idest poenitens humilis, quia eorum collegio se reputat indignum, inter quos se abbreviat; et ideo evenit ei quod sequitur: *initium dulcoris habet fructus illius*, de quo in Psalmo: *Et erit tamquam lignum quod plantatum est* etc.¹³³ Lignum, poenitens, qui plantatur secus decursus aquarum, idest lacrimarum vel abundantiam gratiarum; cuius radix, humilitas; truncus ex ipsa procedens, obedientia; rami, caritatis opera, ad amicum et inimicum se extendentia; folia, vitae aeternae verba; fructus, caelestis gloria, quae habet initium, medium et finem sine fine. Initium, suavitas contemplationis, quam utcumque poenitens degustat; medium, post corporis mortem animae requies; finis sine fine, geminae stolae glorificatio in aeterna beatitudine. Quam nobis praestare dignetur qui est benedictus in saecula. Amen.

¹²³ GLO. INT., Sap 8,16: «Intrans in domum meam, “Caetera foris agentibus quid intus praestet adiungit. Sapientiam scilicet. Confidential mentis”».

¹²⁴ Sap l.c. (Vg. ... cum illa)

¹²⁵ Iob 1,9 (Vg. ... oppressit liberos tuos)

¹²⁶ GLO. ORD., Iob 1,1.

¹²⁷ Cf. GLO ORD., Iob 1,19

¹²⁸ Cf. Prov 18,12

¹²⁹ HIER., *Lexicon origenianum*, PL 23,1261

¹³⁰ Cf. Iude 9,48-49.

¹³¹ Iob 41,25.

¹³² Mt 6,26 (Vg. om mut)

¹³³ Ps 1,3